



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

ix. De Pensionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

Si tamen præbenda ita opulenta sit, ut duobus vicis modè præbere possit, in duas scindi eam licebit, nec Turonense Conciliū hoc improbat, quæ si partes sectæ non sufficerent, ambæ essent per sectorem ex præbendis alijs vacantibus augendæ^a, earum fructus præbendas sectas habentibus pro parte tribuendo, dum tot fructus ex eis supersint, quot Canonico sufficiant: alia enim præbenda attenuari non debet, ut alia locupletetur^b, nisi necessitate impellente^c. Si verò aliqua præbenda Cathedralis Ecclesiæ ita inops sit, ut clerico ad victum opportunū non sufficiat, capella ei annecti poterit, dum ne illius presbyter & ipse congrua portione defrauderetur, si Capella utriusque satis esse potest^d.

Animadvertere autem debet is, qui conferendi potestatem habet, ne ex affectu carnali, sed sano, & recto iudicio Ecclesiasticum officium, vel beneficiū, & in personam, quæ magis visa fuerit idonea, locet. Item ut neque ex pactione, vel conventionem quacunque conferat, nec sibi retineat ullam redituū portionem, aliòve modo beneficiū diminuat. Consultius etiam fuerit, si palàm, nõ clàm beneficiū contulerit^e.

a. c. vacante. de præben.

b. ca. cum causam quæ. ubi Abb. de præb.

c. si. de iur. sig. ca. ex parte. de constit. gl. d. c. vacante. in si. mag. glo.

d. c. exposuisti nobis.

e. c. in. ut Ecclesiæ benefici.

A DE PENSIONIBVS,
TITVLVS IX.

ET si beneficia integra conferri debeant, non diminuta, potest tamen interdum aliqua ex his decessio fieri, ut fructuum portio ab eis detracta alicui suppeditetur: quæ portio Pensio appellatur, eaque vel in titulum beneficij solet assignari ei, qui ad Ecclesiasticos ordines recipitur, vel vexationis redimendæ causa, quæ Rectori beneficij, modò procurata non sit, ab aliquo in iudicio inferitur, interdum & illi exoluitur, qui suum beneficium alteri celsit, ne interea, dum superstes est, vitam inopem ducat, aliòve de causa: sed & remunerationis gratia alicui nonnunquã constituitur, veluti si cuius opera utatur Ecclesia.

Nec refert, an is Clericus, an Laicus sit.

Moderatam tamen pensionem esse oportet, ne usque adeo beneficium extenuet, ut eius Rectori non supersit, unde sustentari valeat. Hinc serè observari solet, ut non maiorem tertiam partem beneficij deducat, id est, ut quantitas fructuum, quæ ex beneficio in pensionem detrahitur, tertiæ partis annui redditus beneficij onerati summam ne transiliat. Quod eò dictum voluimus, ne cui persuasum sit, posse pensionem
per

per quotas assignari: id enim simoniae vitio non careret. Illa quoque pensio improbat, quae per collusionem constituitur, ut cum Rector Ecclesiae patitur sibi litem fieri, ut sub specie litis redimendae commentitio aduersario aliquam pensionem transactionis causa promittat super litigioso beneficio. Nec is tutus erit, qui pensione prius inita pensionem obtinuerit, nisi summi Pontificis sese autoritate munierit. Ante omnia verò pensionis imponi vllum onus non debet, nisi Antistitis accedente autoritate.

Sed non Pontifex Romanus solum pensioni excipiendae author esse potest, verum & Legatus à latere eius profectus: alius Legatus non potest, nisi hoc ei specialiter sit concessum. Item Episcopus Pensionem deducere potest, si quae eum iusta causa moueat, quae evidentem Ecclesiae vtilitatem importet, dum modò neq; pensionis transferendae potestatem eum facere posse, neque post eius mortem, cui est concessa, posse eam perpetuare intelligamus. Item, qui aliquam Ecclesiam erigit, ut patronatum eius nanciscatur, potest in eius fundatione pensionem de beneficio excipere aliae Ecclesiae, aut sibi, Episcopi accedente consensu, quotannis sol-

uendam. In primis quoque eius Rectoris consensus exigitur in pensione constituenda, qui id oneris subiturus est, quisquis sit is, qui pensionem est imposurus, seu summus Pontifex, seu Legatus, seu Episcopus: quod etiam regulis Cancellariae sanciri solet.

Sed neque infante minor, neque illegitimus, nec excommunicatus pensionis illius capaces sunt, quae vel beneficii loco, vel in titulum datur.

Extingui autem potest etiam sola partium conventionione, licet nulla Antistitis autoritas accesserit, nisi in alimenta esset constituta, vel pecunia data redimatur: quemadmodum frequenter usurpari videmus, quinque fortè, aut sex, aut septem ad summum anticipatis pensionibus: quibus casibus receptum est summi Pontificis auctoritatem desiderari ^a.

^a Gig. in trac. de pension.

DE IVRE PATRONATUS,

TITVLVS X.

Via Ecclesiae, quae alicuius in Patronatu sunt, propria quaedam ab alijs diuisa iura habent, quae & ipsa necessarium est intelligere, de his quoque, quatenus instituti huius nostri ratio patitur, dicamus.

Ius ergo Patronatus (seu Ad uocationem, seu Custodiam,